



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum
MCCCLXX. II. Coenobii ...

Trithemius, Johannes

Francofvrti, 1601

LVI. Ioan. Trithe. Ab. Span. Iacobo Trithemio Fratri amantissimo, Salutem.

urn:nbn:de:0128-1-17336

illos in monasterio religioſe contineas, & monaſticam obleruantiam inuiolatam cuſtodias. Fratres vt pro nobis orent ad Deum commonefacito, quos omnes in charitate leſu Chriſti ſalutamus. Vale ex Berli- ni. 8. die menſis Ianuarij Anno Chriſtianorum, M. D. VI.

LV.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI IOANNI TRITHEMIO ABBATI
Spanhemienſi, Iacobus Tritheimus frater S.

LITERÆ paternitatis tuæ ingens mihi attulerunt gaudium, quibus te ſanum & incolumem eſſe cognoui. Præterea ſcire ſtatum meum cupis. Teneto breuiter, mediocriſt est. Dei bonitate ſanus ſum, & ſine pecunia diues. Poſt tuum à Neometi reſeſſum ad Wachenheim veni, pauciſque ibidem diebus commoratus, mox perpendi homines & meorum obſequiorum & tuorum oblitus beneficiorum torui me vibrare ocellis, inuidenterque ſtudijs meis, ad lapides & lutum reuocare nolentem. Nolui ergo diutius manere cum hominibus ἀγαθῶν καὶ φειδωλῶν, qui nec beneficiorum ſunt memores, nec promiſſorum exhibitores. Abbati multis diebus vt noſti in Colonia ſcriptor ſeruiui, & propterea quos amicos habere poteram offendi, tempus apud illum mihi ſine fructu expendi, veſtimenta contriui, & nihil ab eo penitus pro mercede obrinui. Eccleſia, quam mihi assignare volebat, in ſalicum valle pauperriſima eſt, domus habitationis ſacerdotalis cum vico incendio conſumpta. Habeat eam ſibi & valeat, quia non eſt mihi animus apud illum manendi. Vtinam tibi porius acquieuiſſem quam petitionibus eius, perrexiſſemque in Marchiam tecum, melius mihi foret, quam gratis illi ſeruiſſe. Contempta igitur vaniſſima ſpe Treuerim deſcendi & aliquandiu cum parentibus manſi, quouſque per ſingulos gradus ad ordinem ſacerdotalem proceſſi. Iam deinceps faciam quod hortaris, & cum Damio noſtro manebo donec venias. Vale ſanus. E Spira 11. die menſis Nouembris Anno 1505.

LVI.

IOANNI TRITHEMIO ABBATI SPANHEMIE IACOBO TRITHEMIO FRATRI AMANTISSIMO, SALUTEM.

ADHUC Deo largiente valemus: ſi vales & tu bene eſt. Non latebat nos cui ſeruire, qui τὴν ἀρχαίαν ἀδελφότητα quam optime nouimus dudum experti. Sed quoniam ita tibi complacuit, ſi perdidisti laborem, tibi noueris imputandum. Quamprimum poteris parentibus ſcribe, nos ſaluos & incolumes, & vt ſenectutis ſuæ curam habeant, nihil de nobis ſolliciti. Omnipotens Deus ſua miſeratione nobis vt conſidimus neceſſaria ſine parentum ſollicitudine prouidebit, etiam ſi ad Spanheim nunquam reuertamur. Remiſſus Prior humilia atque dulciſſima ſcripſit, cupiens nos ad monaſterium quantoties reuerti, cui reſcribentes verbis verba retulimus, donec mentes hominum plenius exploremus. Non enim deinceps facile credemus ſemel tam enormiter decepti. Cum ergo Neometim aut Budorim reuerſi fuerimus, agemus ne nos lateant fratrum animi, & tum demum quod nobis videbitur vtilius faciemus. Quod ſi manere foris contigerit, nihil ad nos, quippe qui carere ingrato monaſterio quam manere cum improbis quibus magis eligimus. Vale ex Berli- ni. 8. die menſis Ianuarij. Anno Chriſtianorum M. D. VI.

LVII.

THEODORICVS EPISCOPVS LVBECENSIS, IOANNI TRITHEMIO ABBATI SPANHEMIE. SALUTEM.

QVOS ad te optimum patrem ſalutandū probos & inelytos philoſophos lamblicum & Proclum cum cæteris pridem miſimus, quoniam ſe modo apud tuam paternitatem habeant, pro eorum honorificentia noſtroque in eos amore putauimus requirendū, cum vel officio iam prope ſuncti, vel quicquid tu ex eis requirendum putaueris, eo te potitum optimeque illis uſum pro ſua liberalitate; Tantaliſque phiala amicitie firmande gratia vos vberriſſime potos arbitramur. Ne igitur vel ocio torpeſcant, vel nouis placidioribusque ſubintrantibus abiectiori loco contemptique, vt fieri ſolet, haberentur, pulueribusque ſordescerēt, reuocandos exiſtimauimus. Credimus etiam à te deſatigatos adeo, vt iam rigidior illis monaſtica illa, qua religioſe pater admodū vteris, cenſura pertaſa ſit plurimum. Quod ſi ita iudicaueris, tua eos pro honeſtate pace redire ſinito. Si autem tibi ad con-